Lichenologische Beiträge von Dr. J. Müller.

XXVI.

(Schluss.)

1192. *Helminthocarpon Lojkanum* Müll. Arg.; thallus tenuis, flavescenti-cinereus, subrimulosus et obsolete verruculosus; lirellae semiemersae, orbiculares, circ. $^2/_3$ mm. diametro aequantes, margine tumido omnino thallino et cum thallo concolore cinctae et perfecte *Thelotrematis* speciem simulantes, dein saltem partim $1^1/_2$—2 mm. longae, 2—3-plo longiores quam latae, rectae, genuflexae aut sigmoideae, utrinque late obtusae; discus punctiformi-orbicularis aut secundum formam lirellarum oblongatus, caesio-pulveraceus, depressus; perithecium in sectione cupulare, undique tenue et albo-hyalinum, extus superne strato thallino crasso obtectum; lamina undique albo-hyalina et tenax; paraphyses trabeculatim connexae; asci 1-spori; sporae 180—225 μ longae, 40—48 μ latae, creberrime cubico-locellatae, locelli in series 25—30 transversales dispositi interdumque pro parte iterum divisi. — Habitu accedunt: javanica *Graphina hololeuca* (Montg.) Müll. Arg. et „*Graphis leprocarpa* Nyl." — Corticola ad Toowoomba in Australiae territorio Queensland: Hartm. (a cl. Lojka, egregio editore Lichenothecae Universalis, sub no. 92 mihi communicata).

1193. *Helminthocarpon Ernstianum* Müll. Arg.; syn. *Graphina Columbiana* Müll. Arg. L. B. no. 209 (excl. syn. Nyl.); planta similis *Graphinae obtectae* Müll. Arg., sc. *Graphidi obtectae* Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 83 (nomen hoc in Andam. p. 18 ab ipso Nyl. in *Gr. Columbianam* mutatum, planta enim diversa esse a Hook. no. 2264 [at nomen solum in Prodr. Nov. Gran. p. 84 rite editum valet, nec illud in sched. Hook. datum et in Enum. gén. p. 129 simpliciter sine charact. citatum], sed lirellae magis obesae, breviores, ex orbiculari demum lineari-oblongatae, magis emergentes et paraphyses intricatim ramosissimae et connexae; sporae in ascis 1—8-nae, saepius 4—6-nae, circ. 110 μ longae et 25 μ latae, halone amplissimo 5—10 μ crasso cinctae; perithecii dimidiati labia tenuia, nigricantia. — Caracas: Dr. Ernst.

1194. *Helminthocarpon platyleucum* Müll. Arg., syn. *Graphis platyleuca* Nyl. Syn. Lich. Nov. Caled. p. 75; lamina tenax, ascis

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0425-9

sterilibus aut non bene evolutis striata et systemate paraphysium tenuissimarum crebre intricatim ramosarum et connexarum percursa. Series locellorum sporae circ. 23. — Vidi specim. neocaledonicum a cl. Thiébaut lectum.

1195. *Arthonia gracillima* Müll. Arg.. thallus tenuissimus, hypophloeodes, extus maculam albidam nitidulam (epiderm.) referens; lirellae $^1/_4$—$^3/_4$ mm. longae, $\frac{5-7}{100}$ mm. latae, simplices et irregulariter ramulosae, emergentes, demum nudae, atrae; sporae in ascis subglobosis 8-nae, cylindrico-obovoideae, utrinque obtusae, 18—24 μ longae, 8—10 μ latae, 6-loculares, loculus superior longior et modice latior. — Extus bene *Arthoniam dispersam* Schrad. simulat, sed sporarum magnitudo et structura omnino differunt. — Ramulicola ad Toowoomba Australiae orientalis: Hartmann.

1196. *Arthonia Ricasoliae* Müll. Arg.; apothecia in thallo alieno *(Ricasoliae)* submaculari-evoluta, orbicularia, $^1/_3$—$^2/_3$ mm. lata, leviter convexa, ambitu haud radiatim prominula, primum obtecta, subolivaceo-nigricantia, demum magis nuda et fusca, opaca, libenter varie confluentia; lamina distincte partim in thallo alieno innata, hyalino-olivacea; hypothecium hyalinum' sporae in ascis obovoideis circ. 4-nae, hyalinae, 11—15 μ longae, tantum 3 μ latae, graciliter soleaeformi-biloculares, utrinque obtusae. — A proxima *A. subconveniente* Nyl. differt sporis tenuioribus, gracilibus et apotheciis ambitu sat regulariter orbicularibus. — In thallo *Ricasoliae Hartmanni* in Australiae territorio Queensland.

1197. *Enterographa trypethelioides* Müll. Arg.; *Chiodecton hypoleucum* Knight Queensl. p. 76 (non Nyl. Chil.); thallus flavescenti-cinereus, tenuis, laevis, demum areolato-rimulosus, margine linea lata atro-fusca v. brunnea limitatus; stromata plano-convexa, circ. $^2/_3$ mm. lata, ambitu orbicularia v. saepius obtuse angulosa, vulgo varie confluentia, laevigata, thallo palidiora, polycarpica; ostiola orbicularia et oblonga, $^1/_{15}$—$^1/_{10}$ mm. diametro majore aequantia, nigra, madefacta fusca, nuda, superficiem stromatis attingentia; hypothecium hyalinum; perithecium indistinctum; lamina hyalina; paraphyses ramoso-connexae; sporae 8-nae, subspathuliformes, circ. 40 μ longae et $4^1/_2$ μ latae, 4-loculares. — Prope *E. olivaceam* (Fée sub *Chiodecton*) locanda extus prima fronte *Pertusariam trypetheliiformem* Nyl. simulat sed stromata minus alte convexa et structura interna caeterum

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0426-5

diversissima. — Corticola in Australiae regione Queensland: Knight.

1198. *Enterographa frustulosa* Müll. Arg.; *Chiodecton frustulosum* Krplh. Lich. Glaz. p. 77; sporae, hucusque ignotae, 35 μ longae et cum halone 7 μ latae sunt, fusiformes, 6-loculares; paraphyses connexae, graciles. — Krempelh. verrucas intus profunde atras vidit, sed vere intus fere tota crassitie albae sunt (etiam in specim. Glaz. no. 3301), basi autem hypothallo nigro atratae sunt; thallus in hypothallo nigro disperso-granularis, granula hinc inde in verrucas apotheciigeras abeuntia; epithecium nigricans, perithecium superne lateraliter distinctum, fusco-nigricans, brevissime tantum descendens, caeterum inferne et subtus deficiens; lamina aquoso-hyalina. — Saxicola in Brasilia prov. San Paolo, ad Morro de Itambé prope Faxina: Puiggari no. 2223; et antea prope Rio de Janeiro sine sporis lecta: Glaz. no. 3301.

1199. *Sarcographina* Müll. Arg. Thallus crustaceus. Gonidia chroolepoidea. Lirellae in stromate maculari dense aggregatae, immersae; perithecium proprium lecideinum (fusco-nigrum, inferne indistinctum); discus linearis; paraphyses simplices; sporae parenchymaticae et fuscae. — Structura apotheciorum ut in *Sarcographae* sect. *Hemithecio*, sed sporae parenchymaticae.

1200. *Sarcographina cyclospora* Müll. Arg., thallus argillaceo-flavicans, tenuis, determinatus, marginem versus nitidulus, laevis; stromata orbicularia, 2—3 mm. diametro aequantia, demum varie confluentia, vix v. non emergentia, caesia, subpulverulenta; lirellae crebre radiatim dispositae, punctiformi-lineares, simplices et furcatae, $^1/_8$ mm. tantum latae; discus niger, perangustus; perithecium superne nigro-fuscum, haud validum, basin versus evanescens, hypothecium hyalinum; paraphyses crassiusculae et facile liberae; sporae in ascis linearibus 8-nae, 1-seriales, fuscae v. nigro-fuscae, globoso-ellipsoideae, 9—12 μ longae, 7—9 μ latae, e biloculari mox varie subcruciatim 4-loculares. — Habitu *Sarcographam labyrinthicam* et *S. caesiam* Müll. Arg. prima fronte simulat. — Corticola ad Trinity-Bay in Queensland: Sayer.

1201. *Endopyrenium rhizinosum* Müll. Arg., squamulae castaneae v. lurido-rufescentes, dense congestae, contiguae, circ. 3—4 mm. latae, orbiculares, crenato-sublobatae, convexae, opacae, crassae, subtus crasse costatae et validissime rhizinosae; apothecia depressione laevi indicata, intus nigra; nucleus hyalinus;

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0427-1

paraphyses indistinctae; asci 8-spori; sporae ellipsoideae, majusculae, 16—18 μ longae et 10—12 μ latae. — Ab *E. rufescente* recedit peritheciis intus strato peripherico subnigris, sporis majoribus et colore obscuro castaneo, et juxta *Endopyrenium rufopallens*, sc. *Endocarpon rufopallens* Nyl. Lich. Sahariens. II. El Kantara no. 21 locandum est, quocum etiam strato corticali peculiari quasi amorpho bene convenit. Rhizinis et facie infera squamarum insignitum. — Crescit ad terram in summo monte Kalilimai insulae Karpathos Asiae minoris, cum *Placodio crasso* v. *cetrarioide* (Mass.) mixtum: Dr. Forsyth no. 147.

1202. *Parmentaria subplana* Müll. Arg.; *Trypethelium subplanum* Knight Queensl. p. 77, thallus olivaceo-fuscescens, tenuis, laevis; stromata leviter tantum emergentia, fere deplanata, obtecta, perithecia circ. 6 valde inclinata v. subhorizontalia, integra, connata, quae in ostiolum commune haud emergens et nigricans abeunt, includentia; sporae videntur geminae (asci integri in specimine manco haud vidi), fuscae, ellipsoideae, 75—110 μ longae et circ. 35 μ latae, intus laxiuscule parenchymatosae, locelli in series transversales circ. 12 dispositi. — Juxta *Parment. interlatentem* (Nyl.) Müll. Arg. locanda est. — Corticola prope Toowoomba (Queensland) Australiae: Dr. Knight.

1203. *Parmentaria gregalis* Müll. Arg.; *Trypethelium gregale* Knight Queensl. p. 77. Extus *P. astroideam* Fée simulans, sed stroma crassius, cum thallo concolor, unde perithecia non nigro-translucentia et sporae dein magnae, in ascis solitariae v. geminatae, 90—120 μ longae, 35—48 μ latae, circ. 22—25-loculares, multilocellatae. — Inter *P. astroideam* Fée et *P. interlatentem* (Nyl.) medium tenet. — Ad Toowoomba in Australiae territorio Queensland: Dr. Knight.

1204. *Parmentaria subumbilicata* Müll. Arg.; *Trypethelium subumbilicatum* Knight Queensl. p. 76; thallus olivaceo-virens, laevigatus; stromata thallo subpallidiora, saltem superne, late hemisphaerico-conica, rotundato-obtusa, modice tantum prominula, basi sensim in thallum abeuntia, $1^1/_2$—$1^3/_4$ mm. lata, vertice ostiolo fulvo-fusco angusto centro poro pertuso ornata; perithecia in quoque stromate 2—4, completa, atra, in tubulum brevem ostiolarem abeuntia, inferne demum partim confluentia; sporae in ascis linearibus 8-nae, uniseriales, fuscae, oblongato-ellipsoideae, 28—32 μ longae et circ. 12 μ latae, 6-loculares, loculi 2—4 intermedii 2-locellati. — Bene distincta, peritheciis demum fere omnino confluentibus insignita, unde stromata abeunt spurie

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0428-6

1-locularia, basi polygastrica. — Prope Toowoomba in Australiae territorio Queensland: Hartmann (mis. Dr. Knight).

1205. *Parmentaria microspora* Müll. Arg.; *Trypethelium? nanosporum* Knight Queensl. p. 78, (nomen hybridum); thallus olivaceo-fuscescens, tenuis et laevis; stromata modice prominentia, convexa, circ. tricarpica; perithecia nigra, completa, omnino obtecta; sporae in ascis 8-nae, 1-seriales (fuscae), in genere parvae, tantum 14—18 μ longae et 7—8 μ latae, ellipsoideae, e quadriloculari 6—8-loculosae, i. e. loculi 2 intermedii v. etiam terminales longitrorsum aut oblique divisi. — Corticola in Toowoomba in Australiae territorio Queensland: Dr. Knight.

1206. *Tomasellia* (s. *Syngenesorus*) *dispora* Müll. Arg. (*Trypethelium disporum* Knight sched.); thallus albus, tenuissimus et subevanescens, farinulentus; apothecia acervulata in stromatibus convexis leviter distinctis cum thallo concoloribus circ. 3—7, inter se discreta v. partim confluentia, apice demum obtuse emergentia et nigra; perithecium nigrum, dimidiatum, media altitudine $^1/_3$ mm. latum; paraphyses tenellae, clathratim connexae; asci angusti, 2-spori; sporae hyalinae v. demum subfumoso-obscuratae, oblongo-ellipticae, medio constrictae, utrinque obtusae, 12-loculares, 38—48 μ longae et 14—16 μ latae. — Corticola in Thursday Island ad Torres-Straits in Australia orientali-septentr.: C. H. Hartmann (mis. Dr. Knight).

1207. *Verrucaria maurula* Müll. Arg., thallus nigerrimus, opacus, stratum tenue continuum firmum sublaeve ambitu subeffusum formans, intus pallidior et undique cellulosus; gonidia abbreviatim chroolepoidea; apothecia parva, omnino immersa et strato thallino tecta, evoluta vertice tecto prominentia circ. $^1/_8$ mm. lata minute subirregulariter umbilicato-aperiente leviter emergente fere plana perspicua; perithecium dimidiatum, fusconigrum, superne tantum evolutum, convexo-tectiforme; paraphyses indistinctae; asci ovoidei v. oblongo-obovoidei, parvi, biseriatim 8-spori; sporae exiguae, lato- v. globoso-ovoideae v. ellipsoideae, 6—9 μ longae, 4—6 μ latae, utrinque late obtusae. — Color thalli omnino ut in *V. maura* Wahlbg., ubi apothecia et sporae multo majores; *V. mucosa* Wahlbg. autem differt consistentia subgelatinosa et fuscescentia thalli, et similis et proxima *V. aquatilis* Mudd Man. p. 285 t. 5 f. 121 (sporae nimis globosae et subglobosae), quacum etiam sporis et apotheciorum structura convenit, praesertim in eo recedit quod apothecia paullo minora

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0429-5

et plano-immersa, nec semi-emersa. — Ad lapides calcareos rivulorum montium Voirons prope Genevam: J. Rome.

1208. *Porina* (s. *Euporina*) *persimilis* Müll. Arg., tota planta extus perfecte similis *P. Tetracerae* (Ach.), sed sporae breviores et tenuiores, 30—35 μ longae et $3^1/_2$—4 μ latae, 5—7-septatae. — Juxta indicam *P. mastoidellam* (Nyl.) et borbonicam *P. innatam* quas inter medium quasi tenet, locanda est. — Corticola in Australia orient. ad Trinitay-Bay: Sayer no. 12.

1209. *Clathroporina tomentella* Müll. Arg.; *Porina farinosa* Knight Queensl. p. 74; thallus olivaceo-cinereus, tenuis, mox cortice evanescente gonidiis chroolepoideis subnudis tomentellus; apothecia mastoidea, cortice thallino tecta, segregata, solitaria, hemisphaerica, ostiolo fusco v. nigrescente ornata; perithecium globosum, fulvescens; asci 8-spori; sporae 90—120 μ longae et 18—13 μ latae, fusiformi-ellipsoideae, intus copiose locellatae. — Planta farinosi nihil habet. Juxta *Clathrop. olivaceam* Müll. Arg. intercalari potest. — Corticola ad Toowoomba in Queensland Australiae: Knight no. 194.

1210. *Clathroporina robusta* Müll. Arg., thallus subflavescenti-albus, undulato-inaequalis, margine albior et planior, zonam sterilem formans; apothecia in mamilla thallina valida, 1—$1^1/_4$ mm. lata, hemisphaerica, apice haud depressa inclusa, vertice perspicua, unde verrucae nigro-ostiolatae; perithecium globosum, pallidum; sporae in ascis 8-nae, 2-seriales, hyalinae, crebre parenchymatice divisae, elliptico-fusiformes, utrinque acutiusculae, halone ampliusculo cinctae, circ. 70 μ longae et 15 μ latae. — Reliquis congeneribus robustior, nigro-ostiolata. — Corticola ad Trinity-Bay in Australiae territorio Queensland: Sayer.

1211. *Polyblastia velata* Müll. Arg., thallus cum epidermide albidus, hypophloeodes, tenuissimus; apothecia $^1/_4$ mm. lata, juniora omnino innata, dein breviter emergentia et thallino-velata, grisea, demum vertice magis nudata, e sectione verticali globosa, basi conniventia, subtus autem nulla aut linea tenui fuscidula tantum indicata, vertice poro saepe albido-pulverulento umbilicata; nucleus hyalinus; paraphyses tenellae, ramosae; asci oblongato-obovoidei, 8-spori; sporae 25—30 μ longae, 11—15 μ latae, hyalinae, 6-loculares, loculi 2—3-locellati. — A proxima *P. transwaalensi* differt apotheciis innatis et sporis minus divisis, et a *P. tichospora*, sc. *Verrucaria tichospora* Knight (Contrib. to the Lichenogr. of New South Wales No. 2) forma apotheciorum. Etiam *Polyblastia elactescens*, sc. *Verrucaria elac-*

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0430-6

tescens Nyl. Exot. Lich. from Eastern Asia affinis est. — Apothecia saepe halone nigrescente cincta sunt, non e dilatatione perithecii sed e melanohyphis dense sparsis subhorizontaliter in cortice prorepentibus formato. — Ramulicola in Australia ad Endeavour River: Persick.

1212. *Pyrenula segregata* Müll. Arg.; *Verrucaria aggregata* f. *segregata* Nyl. Syn. Lich. Nov. Caled. p. 89; differt a proxima *P. subaggregata* Müll. Arg. Pyrenoc. Cubens. p. 410 (*Verruc. aggregata* Nyl. exclus. Syn.), apotheciis minoribus, sparsis, vertice tantum subtiliter aut non umbilicatis et dein sporis angustioribus. — Corticola in Nova-Caledonia, et in Australia orientali ad Trinity-Bay: Sayer.

1213. *Pyrenula finitima* Müll. Arg., thallus obscure cinereus, v. fuscescens, tenuis, leproso-evanescens; apothecia sparsa, nigra, e velato nuda, $^1/_2$ mm. lata, depresso-globosa, circiter triente emersa, vertice haud umbilicata; perithecium integrum, undique subaequicrassum, basi planum (ibique in centro saepe umbonato-productum); sporae (fuscae) circ. 15 μ longae et 8 μ latae, late fusiformi-ellipsoideae, utrinque acutiusculae, 4-loculares, loculi apicales reliquis multo minores. — Affinis *P. segregatae*, sed apothecia distincte majora, perithecium aequaliter integrum et sporae latiores. — Corticola in Australia orient. ad Toowoomba: Hartmann.

1214. *Pyrenula immersa* Müll. Arg., thallus subcartilagineus, tenuis, laevis, flavescenti- v. fuscescenti-virens; apothecia globosa v. globoso-ovoidea, de supra visa saepe paullo oblongata, fere omnino immersa, apice emergentia, e velato mox ibidem nuda v. subnuda, atra, apice rotundato-obtusa v. demum vertice angustissime umbilicata (et in umbilico subinde albido-pulverulenta, non demum late umbilicato-impressa); perithecium undique nigrum et aequicrassum; sporae 4-loculares (fuscae), oblongo-ellipsoideae v. obovoideae, 8-nae, 24—32 μ longae et 10—13 μ latae. — Quasi *P. subductam* (Nyl.) referens, sed apothecia primum minus obtecta et sporae triplo minores; caeterum proxima *P. nitidae*, a qua apotheciis differt. Etiam *Pyrenula flaventior*, sc. *Verrucaria flaventior* Stirt. Lich. of Queensland p. 9 affinis est. — Ad truncos arborum prope Toowoomba Australiae orient.: Hartmann.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03552-0431-2

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1887

Band/Volume: 70

Autor(en)/Author(s): Müller J.

Artikel/Article: Lichenologische Beiträge 423-429